



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 115. Cremona pactis Conditionibus capta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

§. CXIV.

Sæcul. XVI.
A. C. 1522.*Lauda, Comum, & Picelo a Fœderatis expugnata.*

Helvetiis ad sua reversis Lautrecus reliquis exercitus sui copiis urbes firmavit, atque ut Cremonam servaret, Laudam Pompejam valido præsidio munivit; nihilominus Bonnevallius Laudæ Pompæi Gubernator a Francisco Sfortia interceptus est. Hic enim tanto impetu urbem invasit, ut omnes ejus milites civitatem ingressi, non modo eam, sed quidquid in illa continebatur, suæ potestati subjicerent. Ex præsidiariis capti fuere trecenti cataphracti, ac ter mille pedites, qui omnes nequidem gladios adversus hostem stringebant. Dein continuato victoriæ cursu Piscarius itidem Comum in deditionem accepit, pactis quidem honestis conditionibus; Galli tamen, hoste urbem ingresso, violato gentium jure vasis omnibus exuti fuerunt. Præterea Picelonis Gubernator a Piscario vix provocatus, confestim urbis deditionem fecit.

§. CXV.

Cremona pactis conditionibus capta.

Fœderati nec hisce victoriis contenti, ad nova felicitatis incrementa pro-

Hist. Eccles. Tom. XXXIV. N cede

Sæc. XVI. cedebant, urbemque Cremonensem cingebant. Illius Præfecturam Pontdormius jam antea Lescuno, qui cum Joanne Medicæo eo advenerat, cedere compellebatur, nec tamen ejus præsentia profuit, quominus Fœderati tanto impetu mœnia quaterent, ut Marefcallus pacisci compelleretur, se urbis deditorem facturum, nisi Galli infra trimestre, vel juxta Guicciardinum, intra quadraginta dies suppetias ferrent, quibus nullatenus submissis deditiois pacta executioni dabantur. Tandem nequid malorum cumulo deesset, hostis quoque Aronam occupavit, unacum pecuniis ex Francia transmis, ibidemque affervatis. Insuper Veneti toti in eo erant, ut relictis Gallorum studiis in gratiam Cæsaris redirent.

A. C. 1522.

*Mem. du
Bellai l. 2.*

Guicc. l. 24.

*Mezerai' ab-
rege chron.
tom. 4. p. 272.*

§. CXVI.

Genua a Fœderatis occupata.

Cum igitur Lautrecus nonnisi quadringentos Lancearios, & Vasconum peditum nonnullos in suo exercitu numeraret, reliquam Mediolanensis Ducatus partem, quæ Gallis supererat, conservandi spem penitus abjecit, atque in hisce angustiis prehensus consilium cepit, ut nonnisi duobus domesticis stipatus in Franciam rediret, atque a nemi-

ne